



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Legatio Marchionis Lavardini Romam, Ejusquè Cum
Romano Pontifice Innocentio Undecimo Dissidium**

Sfondrati, Celestino

[S.l.], 1688

32. Quo animo Pontificem esse oporteat, si armis Galli experiantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62944](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62944)

ferè triginta proponerent, ingenti va-
cantium Ecclesiarum damno.

Octavò. Taceo novam, & Gallicà pie-
tate indignam persecutionem, quã con-
tra Ecclesiæ immunitatem tot insignes
præclarique Sacerdotes, & Ecclesiastici
dignitatibus aucti, carceribus, proscri-
ptionibus, exiliisque puniti sunt. Haec
nunquam Innocentius probare potuit
& quî posset à sacris Canonibus, ab Ec-
clesiæ Gallicanæ institutis, & Legibus
Divinis, humanisque adeò aliena? Hinc
Gallorum querelæ, qui & Pontificem, &
Pontificis Ministros odij acufant, quod
non velint, quæ non licent, quodque non
possint Rectorum Ministrorum cupidi-
tatibus adulari; & Deum, Conscientiam,
Regemque prodere tam turpi ac indignâ
conniventia.

XXXII. *Ultimò.* Denique sparsim hic
Auctor minatur: (quod etiam Lavardi-
nus in fine Apologiæ suæ fecerat) *Si quis
reverentiæ honori defuerit Legato tanti
Monarchæ debito, reum illum fore omnium
malorum, quæ ex irata, offensaq; Regis Ma-
jestate provenire possint.*

R. Jam

R. Jam observatum est, Asylum non pertinere ad honores ac jura Legatorum, nec Lavardinum posse Legatum dici, sicquè nullam justam causam prætexi Regiæ indignationis. Quòd si tamen, ut Lavardinus minatur, Christianissimo Regi placuerit armis hanc causam finire, & quod jure nō potuit, vi ac potentiā exprimere, nihil aliud Innocentio supererit, quàm ut patientiā Pontifice dignā, quidquid Regi visum fuerit, intrepidè patiat, sequè non Achillis, aut Hectoris, sed Piscatoris successorem meminerit, cui, ut gladio abstineret, à Christo imperatum est. Non ergo Christianissimo Regi, Ecclesiæq; Primogenito, aut arma, aut acies opponet, sed reverentiam Pontifici debitam. Dicitquè Innocentius, quod olim & in simili causa Ambrosius: (a) *Meministis, quod lectum est, Nabuthem sanctum verum possessorem vineæ suæ interpellatum petitione Regiæ, ut vineam suam daret, respondisse: absit ut ego tradam Patrum meorum hereditatem, si ille vineam suam non tradidit,*

I 6

nos

(a) *Ambros. in Auxent. & Epist. 33.*

nos trademus Ecclesiam Christi? Quid igitur responsum est à me contumaciter? Dicenim conventus absit, ut tradā Christi hereditatem. Respondi ego, quod Sacerdotis est, quòd Imperatoris est, faciat Imperator, prius est ut animam mihi, quàm fidem auferat. Si à me peteret, quod meum esset, id est fundum meum, argentum meum jus huiusmodi meum, non refragarer; Verum ea, que Divina, non esse Imperatoriae potestatis: si Patrimonium meum petitis, invadite: si corpus, occurrā, vultis in vincula rapere, vultis in mortem? voluptati est mihi, non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratiùs immolabor.

Hæc olim Ambrosius Valentiniano Imperatori. Hæc iterum Innocentius Ludovico Regi.

FINIS.

* *
*

RE-